



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 80. Sacerdotes Verbum Dei absque speciali licentia annuntiare a Regina  
prohibiti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

cio potiorem obtenturi sint partem, nec Sæcul. XVI.  
 ultra subjiciendi forent pleno laicorum A.C. 1559.  
 arbitrio; cum hi per tot sæcula ab Ecclesiasticis dependere soliti nullam prætermis-  
 sori forent occasionem, qua dominationis jacturam sarcire possent, si  
 vel unquam Ecclesiasticis prævalendi  
 ansam aucuparentur.

## §. LXXX.

*Sacerdotes Verbum Dei absque spe-  
 ciali licentia annuntiare a  
 Regina prohibiti.*

Priusquam omnes hæ novitates fuerant stabilitæ, quidam Ecclesiastici adversus eos, qui ejusmodi immutationes invehere cœperant, acriter declinabant; quapropter Regina prohibuit, ne quisquam sine licentia regio sigillo munita ad populum diceret: cum autem ipsa quoque vereretur, ne in suis ausibus per Clericorum comitia impediatur, hinc Ecclesiasticis una congregatis inhibuit, ne ullos Canones, seu decreta conderent. Hoc Reginæ edicto, cuius injustitia omnibus erat manifesta, haud parum exacerbabantur inferioris Curiæ Patres: unde Orator, seu Praeses nomine Harpsfeldius libellum supplicem a Deputatis Reginæ exhibitum concinnabat. In eo quinque Religio-  
 nis Catholicæ articuli fuerunt stabiliti,  
 quo-

Sæcul. XVI. quorum primus erat: Christus Domi-  
A.C. 1559. nus est corporaliter præsens in Eucha-  
 ristia. II. In hoc Sacramento nulla  
 alia adest substantia, nisi Corpus, &  
 Sanguis Salvatoris nostri. III. In Missa  
 datur Sacrificium propitiatorium pro  
 vivis, & defunctis. IV. Sanctus Petrus,  
 ejusque legitimi Successores Ecclesiam  
 regendi, gregemque pascendi potesta-  
 tem habent. V. Solis Ecclesiæ Pasto-  
 ribus doctrinam definiendi, Sacra-  
 torum administrationem præscribendi,  
 ac divini officii Ordinem stabiliendi jus  
 competit. Hic idem libellus ansam  
 præbebat, ut ex quavis contendentium  
 parte novem feligerentur Doctores, qui  
 colloquio in Abbatiali Westmonaste-  
 riensi Ecclesia instituto utriusque par-  
 tis rationes discuterent.

§. LXXXI.  
*Colloquium inter Doctores Catholi-  
 cos, & Protestantes.*

**P**orro ex Catholicis convenerant Epi-  
 scopi Viacomiensis, Lichtfeldiensis,  
 Cestriensis, Carieolanus, Lincolnensis  
 præter Colum, Harpsfeldium, Lang-  
 dalum, & Chedseium Doctores: Pro-  
 testantium vero nomine aderant Scorius  
 antehac Cestriensis Episcopus, Coxus,  
 Witeheadus, Grindalus, Hornius, Sand-  
 ses, Guestus, Almerus, & Jewelus.  
Hoc